

CONCIO III.

quibus Deus aliquos ad certum statum vocat. Quando itaque parentes hæc duo in liberis videant, eos Deo tunc offerre obligantur, quia votatos esse a Deo dubitare non debent, cui petita degenerare nimis magna audacia foret. Scire enim vellem, num regi aut reginæ eosdem ad aulam suam evocanti denegarent: non arbitror. Exemplo est Isai qui regi Sauli vocanti ad aulam suam Davidem filium, non modo non repugnavit, sed munera etiam addidit, eumque ad regem alegavit, I. Reg. XVI. Et quomodo tales parentes parati esse possunt cum Abraham ad immolando Deo primogenitos suos, qui ne ut vivos quidem commident, persuaderi possunt. Quod enim eos Deo non tam immolent vel donent, quam commident, testatur id sancta illa mater Samuelis Anna, I. Reg. quæ postquam filium Deo manci passet, ait: *Ego communicavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit accommodatus Domino.* Dispiciant itaque parentes, quænam sit liberorum ad hunc vel illum statum propensio, et aptitudo: et meminerint illius appendicis veteris legis, quam Deus addidit lego et offerendis primogenitis, videlicet: *Primogeniti asini mutabis ove,* Exod. XIII. Quæ vero causa, putatis, hujus unius exceptionis? Absque dubio, quia asinus stupidissimum et gravissimum animal est, quod verberibus urgeri, nihilque facile edoceri potest, indicari voluit Deus tales liberos, qui stupidi sunt et indociles, ignavi etiam et eversi a statu ecclesiastico, non esse ad illum promovendos vel adigenados: non est status, qui requirat majorem scientiam et virtutem, quam ecclesiasticus. Quisquis ergo inertes et stolidos ad eum intrudit, asinum Deo offert, et quasi ad lyram perdiscendam in ludum litterarium mittit. Cæterum parentes qui idoneos suos filios ad Dei cultum offerunt, sperare a Deo possunt plures alios cum fœnore sibi dandos, ut testatur S. Hieronymus, in epist. ad Lætam: *Fidens loquor, ait, accepturum te filios quia primum fætum Domino reddidisti.* Experta id fuit Anna, quæ pro primogenito Samuele, Dei cultui oblato, obtinuit tres filios et duas filias: quod precatus Heli dicebat ejus marito Elcanæ: *Reddit tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino,* I. Reg. II.

Deinde, si divino cultui liberi offerri nequeant, offerantur saltem ludimagistris, et bonis præceptoribus, ut pro eorum nutu in timore et disciplina educentur, et in formentur tam bonis moribus quam litteris, neque parentes ægre ferant, si ab eisdem quandoque castigentur. Certe Theodosius imperator Arcadium filium Arsenio præceptor eruditendum tradens, dixit Arsenio: *Post hac tu magister ejus, quam ego,* Surius, in vita Arsenii, 19.

julii, Baronius, anno 383. Ita olim nobiles parentes, obtulerunt filios Sancto Benedicto, Sancto Martino et aliis in monasticæ disciplinæ rigore educandos.

Denique, si per mortem avocet Deus liberos et parentibus, caveant Deo resistere per animi impatientiam. Dicant cum laudabili illo principe Francisco Borgia, nuntiata morte Isabella filiæ: *Depositum accepseram, repetit Dominus. Ex quo enim me Deo dicavi, illi cor obtuli: ut nihil in humanis rebus turbare illud possit,* Ribad. lib. IV. cap. VI. Hæc sunt, auditores, nostra primogenita quæ si Deo offeramus, longe gratius munus dabimus, quam dederint olim Hebræi: fietque ut pro hoc exiguo immensum gloriae pondus in cœlo nobis donetur.

CONCIO III.

PRIMOGENITUM HOMINIS COR QUÆ RATIONE DEO SIT OFFERENDUM.

- I. Per amorem Dei supra omnia. — II. Per contritionem. — III. Per fiduciam in Deum. — IV. Per bonam voluntatem.

THEMA.

Omne masculinum adaperiens vulnam, sanctum Domino vocabitur. Luc. II.

Religiosus vir ordinis Cluniacensis, Raulinus in suo quadragesimali, fer. IV. cin. refert hostem generis humani apparuisse eidam monacho pertinenti a Deo cognoscere, per quid salvari posset; specieque boni angeli dixisse: *Exaudita est oratio tua, et a Deo missus sum tibi dicere: Si conjunxeris lunam novam, solis rotunditatem, et quartam partem rotæ, Deoque obtuleris, salvus eris.* Quod expendens monachus, reperit dæmonem teete quidem et evidenter, more suo, verissime tamen dixisse, offerendum esse Deo cor, ut salvari posset: vocula enim *cor*, tribus constat litteris, quarum prima C formam lunæ novæ, nondum dimidiata, secunda O figuram solis exprimit, tertia R est una e quatuor litteris rotæ. Mendax quidem diabolus est, sæpe tamen accidit, ut veritatem dicere compulsus sit; quod in præsenti eum fecisse non est dubium. Id enim dudum attestatus est Spiritus sanctus per os Sapientis, Proverbior. XXIII. dicens: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Atqui hoc illud ipsum est, quod in hodierno evangelio et festo exigit a nobis Deum, tametsi et ipse sub mysterio et ænigmate, dum primogenitum nostrum petit. Quod autem hominis primogenitum sit, Aristoteles declarat, qui in lib. de

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

juvent. et senect. ait: *Cor in homine esse primum vivens et ultimum moriens. Primogenitum igitur nostrum cor est, Deo offerendum.* At vero dicet aliquis, qua via et ratione Deo cor offerri potest? Audiamus.

I. Per amorem Dei super omnia. In hujus rei significationem Josue, dux Hebræorum, eligit sibi in possessionem civitatem in medio populi sui Thamnatsara nomine, et in ea habitavit, Jos. XIX. Quis autem est noster Josue, qui eduxit nos e deserto in terram promissionis, e tenebris in lucem, e morte in vitam, nisi Jesus, eodem cum Josue nomine? Et quam is, putatis, possessionem ac sedem postulat, nisi cor, quod est in medio nostri? Hanc vero damus, cum ipsum super omnia amamus: quod utique ei debemus, quia et ipse nos plus quam se amavit, dum pro nostra vita suam dedit. Quemadmodum ergo nobili accipitri datur cor aviculae, quam prædatus est: ita etiam Christo jure cor debetur ejusque summus amor, quia nos a potestate dæmonis eripuit quando pro nobis crucem ascendit. Porro, sicut Josue ædificavit civitatem illam, quia videlicet vel diruta vel ruinosa erat: ita rogandus Deus ut cornos nostrum sibimet ædificet in acceptam sedem, dicendumque cum Davide: *Cormundum crea in me Deus,* Psalm. L. Deprehenderat enim cor suum dirutum fuisse, per illicitum Bethsabeæ amorem. Sed quemadmodum Josue non solus, sed ope et opera populi sui urbem illam extruxit: ita etiam nos cooperari Deo debemus; siquidem ipse nobis Ezech. XVIII. dicit: *Facite vobis cor novum.* Ergo ædificemus ei regiam seu palatium, optando ei et quidem soli omne bonum, omnem gloriam, omnem pulchritudinem, omnes divitias, omnem potentiam; ut scilicet agnoscatur, colatur, ametur et timeatur ab omnibus. Ædificemus ei propugnacula, ita ut pro ipsius gloria strenue pugnemus, honorem ejus defendamus, etc. et si opus sit, pro eo cum Petro in carcerem et in mortem eamus. Erigamus muros fortissimorum propositorum, ita ut quidvis malorum pati malimus, quam ut eum offendere et hostem ejus in eo admittere velimus. Dicamus cum S. Agnete: *Posuit signum in facie mea, ut nullum præter ipsum, amatorem admittam.* Erigamus turres, ut nimirum ipsius crebro recordemur, et per mentis elevationem ad ejus familiaritatem et colloquium frequenter ascendamus. Sic enim ipse dixit Matth. VI. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Non imitetur divitem illum avarum in ejus exequiis concionatus S. Antonius de Padua dixit inter alia: *Mortuus est hic dives et sepultus est in inferno: ite ad thesaurum ejus et in medio illius invenietis cor ejus.* Abierunt enim auditores, et cor divitis jam sepulti adhuc

calidum invenerunt medio in thesauro, Sur. in vita S. Antonii de Pad. Non sit in arca vel loculis, sed in cœlis thesaurus noster; et illic sit et cor nostrum.

II. Per contritionem. De hac enim ait David Psalm. L. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicias.* Postquam ergo peccavimus, requirit a nobis Deus unicum hoc sacrificium: cor contritum et humiliatum. Contritum per dolorum seu compunctionem, humiliatum per confessionem. Primo ergo, conterendum et contribulandum, hoc est, multis quasi tribulis terendum et flagellandum cor, quod offenderit Deum, summum bonum, optimum patrem, maximum benefactorem: quod proximos non paucos, quod seipsum denique. Rursus quod celo se excluderit: quod inferno se addixerit: quod toties, tam graviter, tam turpiter ceciderit, etc. Ac licet pro peccatis satisfacere Deo nequeas: licet hæc, quæ dixi, voce non enunties, sed mente solum cogites: licet alia penitentiae opera peragere nequeas, sufficit Deo tu cor contritum et contribulatum, quia ut ait S. Gregor. *Deus non attendit verba deprecantis, sed cor orantis.* Bonus ille latro quod sacrificium, quod opus bonum obtulit Deo, ut audire mereretur: *Hodie tecum eris in paradiso?* Non obtulit ei pedes ad geniculandum vel peregrinandum; non manus ad supplicandum, vel erogandas eleemosynas, quia tam hæc, quam illi cruci affixi erant; non os ad jejunandum, quia paucas vitae horas sibi reliquias habuit; non oculos ad plorandum, quia doloris vehementia impedierat, et humor omnis a capite defluxerat; non linguam ad contendere sceleram, quia nec tempus, nec vires id farebant; non facultates suas, quia omnes fisco cesserant; denique nec sanguinem, quia hunc pre peccatis suis judici pendebat. Unicum et solum cor liberum et solum habuit, idque contritum Christo obtulit, dicens: *Nos digna factis recipimus:* et: *Memento mei Domine.* Ratunque et acceptum habuit Christus hoc sacrificium, et pro eo parandum confessum illi contulit. Hujus exemplo animatus Henricus junior Angliae rex Henrici II. filius, cum multas patri injurias et bellum intulisset, nec tamen multum nocere posset, pecunia defectu, tandem ex macrōe et rancore in gravem incidit infirmitatem in villa Martel, prope civitatem Lemovicensem. Qui cum sensisset mortem sibi imminere, misit ad patrem, volens ei reconciliari et injurias deprecari: verum noluit venire prætendens insidias filii. Rex igitur filius, vocatis episcopis et viris religiosis, qui aderant, primo secreto, deinde coram omnibus sua con-

CONCIO III.

Iesus peccata, pénitentiam et suorum recepit absolutionem peccatorum, et tradidit Wilhelmo Marescallo familiari suo cruem suam Jerosolymam deferendam. Deinde, depositis mollieribus indumentis, cilicium induit, ligato fune in collo suo, dixit episcopis et ceteris viris religiosis circumstantibus: « Trado me peccatorem indignum, culpabilem et obnoxium per funem istum vobis ministris Dei, postulans ut Dominus noster Jesus Christus, qui latroni confitenti in cruce peccata dimisit, per preces vestras et per suam ineffabilem misericordiam misereatur infelicissima animæ meæ. » Postea jubens se trahi a lecto per illum funem, impositus lecto cinericio, quem sibi præparaverat, appositis capiti et pedibus suis duabus lapidibus magnis quadratis, sumptuose post hæc ss. corporis et sanguinis Domini viatico in timore Domini emisit spiritum, quem pater corruens in terram, vehementer planxit, ut scribit Rogerius, in annalib. apud Baron. anno 1183. Non poterat hic rex resarcire dama data patri et Ecclesiis, quas spoliarat; non poterat a patre veniam postulare: unum tamen hoc potuit, cor contritum et humiliatum Deo præsentare: et in gratiam ejus receptus est, uti non dubitandum. Nequeo omnitem, quin hic etiam referam, quod a viro gravi Romæ me audisse memini; mulierem videlicet judicitiæ venisse aliquando ad templum S. Mariae super Minervam, et ibidem ante altare S. Gaiarinae Sennensis suam turpitudinem tot tantisque singultibus ac lacrymis deplorasse, ut mortua præ dolore conciderit. Defunctam igitur medici secarunt, ut subitæ mortis causam indagarent, atque cor ejus diruptum præ doloris utique vehementia repererunt. Hoc est, auditores, cor contritum Deo offerre. Plus doluit Heli, quod arca Dei capta esset, quam quod proprii filii in prælio occisi, 1. Reg. VI. Ita vera contritio exigit, ut plus doleas Deum per peccata perditum, quam jacturam omnium aliorum bonorum.

Porro si tempus et vires suppetunt cordi contrito jungendum est cor humiliatum, per confessionem, qua coram sacerdote nos humiliamus et accusamus. Ubi attendendum, et integrum cor offeramus, non partem ejus offerunt, qui id manus prehensum sacerdoti monstrant quidem, sed ex parte contingunt: *Fili præbe mihi cor tuum,* inquit Dominus mihi inspicendum et ex integro remandum, *effunde sicut aquam cor tuum,* Thren. II. et nihil omnino facis aut sceleris remaneat. Dic nam S. Petro: *Domine non tantum pedes sed manus et caput, ablue videlicet.*

III. Per fiduciam in Deum ejusque provideniam, ita ut omnem nostram sollicitudinem in

ipsum projiciamus. Cor a cura dictum volunt: si ergo curas nostras superfluas et inutiles Deo transcribamus, cor ipsum offeremus. Qua in re non imprudenter ageremus, si pauperem illum Eudamidam Corinthum imitaremur: qui ut scribit Lucianus, in Toxaride dico, go utens amicis duabus opulentis, Arethæo Charixeno, cum ipse pauperrimus esset mirificum fecit testamentum, nimirum: « Legi Arethæo quidem matrem meam alendam atque in senecta fovendam; Charixeno vero filiam meam elocandam cum dote, quanta ab illo dari maxima poterit. Si quid autem interim acciderit alterutri, hujus quoque partem alter habet. » Lectum cum risu est testamentum. Cæterum Arethæus et Charixenus id omnino ratum habuerunt, et legatum exequabantur; Charixeno autem per quinque dies tantum superstite, Arethæus in totum successit, et tam mairem Eudamidæ aluit, quam filiam elocavit, parem cum sua filia dotem ei tribuens, et nuptias ambarum eodem die celebrans. Videmus in hac historia fiduciam Eudamidæ, minime vanam fuisse, sed id omnino, quod sperabat, ei peperisse. Quis igitur non multo magis in Deo nostro, amicorum omnium maximo ditissimo, fidelissimo, spem suam omnem collocet? Sane eodem modo cum Deo egisse videtur David, quod Eudamidas cum amicis suis. Cum enim sic exul a civitate et regia sua fugeret Absalonem, composuit psalmum trigesimum, qui incipit: *In te Domine speravi, non confundar in æternum,* ut volunt Theodoretus et Euthymius. In eo vero quasi per enthusiasmum et extasin (uti præfert psalmi titulus) ita cum Deo paciscitur: *In te Domine speravi, non confundar in æternum;* *in justitia tua libera me,* q. d. justus est Domine et fidelis: non patieris me confundi et frustrari spe mea, dum peto ut liberes me, et mox: *Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu:* et propter nomen tuum deduces me et enutries me, q. d. quia aliud refugium vel asylum non habeo præter te, idecirco tu me salvum deduces et in exilio nutries. Placuisse vero Deo hanc Davidis fiduciam, et quasi passionem seu testamentum, colligitur ex eo, quod cum David ob repentinam illam fugam, neque quo iturus esset, sciret, neque unde alimenta conquerireret; divina providentia factum est, ut ei Siba occurreret cum ducentis panibus, et centum alligaturis uva passæ, centum passis palatarum, (id est, iuri, compresarum) ac duobus utribus vini, ut habeatur II. Reg. XVI. igitur et nos simili fiducia cum Deo paciscamur. Legemus illi matrem et filiam nostram, cor videlicet et curam; ita ut ipse nos deducat, ipse nos enutriat; et habebit absque dubio ratum et acceptum nostrum hoc legatum,

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

quasi magnum quoddam donum: quod etiam indicat Psalm. LIV. cum ait: *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te euotriet.* Quem locum ita aliqui legunt: *Projice in eum donum tuum, etc.* Quando ergo in Deum curam et sollicitudinem nostram projicimus, donum ei damus, quia cor donamus.

IV. Per bonam voluntatem, ut quando aliud non habemus, parati simus ad quævis agenda et ferenda pro Dei gloria, et voluntatem nostram ipsi in omnibus conformandum. Praeclarum ethnici hominibus exemplum recenset Seneca, l. I. de beneficiis, cap. VII. de Æschine, qui cum Socrati præceptor multi multa pro suis quisque facultatibus offerrent, ipse pauper auditor: « Nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possim, invenio, et hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque do tibi, quod unum habeo, meipsum: hoc munus rogo, qualemque est boni consulas, cogitesque alios, cum multum tibi daret, plus sibi reliquise. » Cui Socrates: « Quidni tu, inquit, magnum munus deberis? Nisi forte parvo te aestimes. Curabo ergo ut te meliorem tibi reddam quam accepi. » Quid nos igitur Christiani? Quid Deo dare possumus, quod maxime ei placeat? Utique nos ipsos, seu quod idem est, cor nostrum per bonam voluntatem, ad omnia paratum. Qua de re audiamus S. Gregorium, hom. V. super evangel. dicentem: « Psalmista dicit: In me sunt Deus vota tua: quæ reddam, laudationes tibi. Ac si aperte dicat: Etsi exterius munera offerenda non habeo, intra memetipsum tamen invenio, quod in ara tuæ laudis impono, quia qui nostra datio ne non passeris, oblatione cordis melius placaris. Nihil quippe offertur Deo ditius voluntate bona. Voluntas autem bona est, sic adversam alterius, sicut nostram pertimescere; sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari. Aliena damna nostra credere, aliena luca nostra putare. Amicum non propter mundum, sed propter Deum diligere: inimicum etiam amando tollare. Nulli quod pati non vis, facere; nulli, quod tibi juste impendi desideras, denegare. Neces sitati proximi non solum juxta vires succurrere, sed prodesse etiam ultra vires velle. Quid ergo hoc holocausto locupletius, quando per hoc quod Deo immolat, in ara cordis, anima semetipsam macat? » Hæc Gregorius. Hoc ergo, auditores, nostrum sit primogenitum. Deo offerendum cor nimirum; neque dubitemus curaturum optimum Deum, ut ipsum nobis melius reddat, quam a nobis accepit, quando in die retributionis etiam aquæ poculum sibi oblatum cumulatissime persolvet.

CONCIO IV.

QUOUSQUE VOLUNTAS NOSTRA COMFORMANDA SIT DIVINÆ.

- I. Offerendo se ad omnem penuriam. — II. Ad omnem contemptum. — III. Ad omnem morbum. — IV. Ad quamvis mortem. — V. Ad mortem etiam charissimorum. — VI. Ad omnem calamitatem.

THEMA.

Tulerunt Jesum in Jerusalem ut sisterent eum Domino. Luc. II.

Domini vox est verissima et æquissima: *Non est servus major domino suo, Job. XV.* Atqui Dominum nostrum audimus hodie oblatum fuisse in servum, juxta legem, Exodi XIII. Quod si igitur hoc fecit Dominus noster, quanto magis convenit facere nos servos? Et qua ratione melius Deo nos offeremus, quam si voluntatem nostram divinæ ipsius voluntati per omnia conformemus? Sed quousque hoc faciendum? Audiamus.

I. Offerat ergo se quisque primo, ad omnem penuriam. Hanc obviis ulnis exceptit S. Josephus sponsus Deipara, et cum audiit ab angelo ad furem Herodis declinandum, migrandum sibi in exilium, ubi inter barbaros summam sibi paupertatem tolerandam esse sciebat. Illico enim: *De nocte consurgens accepit puerum, et matrem ejus, Matth. II.* similiter Sanct. Franciscus, qui primo ad mitigandam patris iram cessit ultro bonis suis eaque transcripsit patri adjecta etiam tunica sua. Exinde paupertatem sibi dicta occasione legatam adeo coluit, ut eam non nisi dominam, sponsam vel filiam vocaret. Ad hæc si quando aliquem vidisset, a quo in paupertate vinceretur, ei quodammodo invidiebat, et velut victus erubescerat. Aliquando tres mulieres vultu simillimæ, occurrentes ei, salutemque precatae: *Bene veniat, dicebant, domina pauperlas.* Nimirum etiam Franciscus, simili animo excipere solebat paupertatem. Dicat ergo hoc idem, quisquis paupertate premitur. His accedit mirifica paupertatis cultrix. S. Elisabetha, regis filia et Thuringia principis conjux, quæ defuncto marito, expulsa per summam injuriam e castro suo, descendit velut olim David regno pulsus in subjectum castro oppidum, omni suorum ope destituta cum paucis pedissequis, incerta quo diverteret, ibique in caupona mansit ea nocte, donec signum daretur ad preces matutinas religiosorum Sancti Francisci, ad quorum ædem se mox conferens, rogavit chori praesides ut vellent hymnum *Te Deum laudamus*, suo nomine canere, quod data sibi esset occasio aliquem paupertatis gustum cum Christo experiri,

tantum abest ut indignatione mota, suis persecutoribus male precaretur. Postea cum Marpurgi ultima inopia afflictaretur, leguminibus tantum et olusculis victitaret, et lana facienda sibi victum pararet, evocata ab Andrea patre, Hungarorum rege, per legatum ad paternas ædes, renuit, et gratiis parenti actis, decretum sibi respondit, spe melioris et æterni Regis recipiendo cœptam vivendi rationem pergere, viam sibi cœli imperatorem prævisse, hanc sequi, nec ab ea, quod vivet, recessuram, Matth. Raderus, in Bav. s. p. 1.

II. Ad contemplu et ignominiam. Ita monet apostolus, II. Cor. VI. dicens: *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, etc. per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam ut seductores et veraces, etc.* Praevit ad hoc et Christus qui omnia contumeliarum genera Judæis sibi illata silens patientissimo animo exceptit, velut cum Barrabæ comparatus et posthabitus fuit, cum per urbem hinc inde tractus, et de tribunal ad tribunal raptus, cum latronibus associatus et medius eorum crucifixus fuit, cum in cruce innumeras contumelias, probra, blasphemias etiam a latronum uno audiens dissimulavit, etc. ut Psalm. XXXVII. dicitur: *Factus est velut surdus et mutus.* Praevit etiam sanctissime ejus mater, cum obuterum Josepho suspecte fuit redditæ: perstigit enim in silentio illamque de se opinionem eo usque perfere statuit, donec Deo placeret sponsum informare. Hos secutus imprimis est Sanctus Emeramus episcopus Ratisbonensis, qui de gravissimo stupri crimen falso delatus, pertulit cum silentio acerbissimum supplicium, quo membris omnibus articulatum præcisus, instar trunci relatus est, Surius, in ejus vita. Qui et alteram nobis exhibet hujus viæ sectratricem S. Elisabetham superius laudatam. Hæc enim dum castro suo, ut dictum, expulsa, nescio quam oppidi viam alto cœno obsitam esset ingressa, occurrit illi anus, quam felix olim infelicem stipe aluerat, ægram medicamentis soverat, aliisque beneficiis afficerat; hæc vipera Elisabethæ non modo via non decessit, sed impulsam in medium lutum abjecit, ut omnem corporis cultum fœdissime inquinaret, ipsaque se vestemque in flumine ablue-re cogeretur; nec interim tamen adversus lamiam indignata, risu etiam suam fortunam (supra quam fuerat) prosequebatur. Eadem cum a Thuringia proceribus ob spretum post viduitatem conjugium et omnem sœculi fastum, contemptui haberetur, fanaticæ et insana dictaretur nec alloquio digna haberetur, magis sibi in his placuit, quam si exquisitissimis cæremoniis coleretur. Quando igitur cernimus præisse nobis in hac oblatione Chris-

tum, Deiparam, episcopum, reginam, quid nos homunciones tergiversari volumus? Numquid Christo meliores sumus, qui post resurrectionem gloriose vestitus corpore passus est se tangi etiam a mulieribus? (Quod enim dixit Magdalena: *Noli me tangere, eo sensu dixit, secundum Baradium, et alios: Noli nunc immorari in me tangendo, festina potius nuntiare fratribus meis meam resurrectionem;* erit postea tempus sœpius tangendi, nondum enim ascendi ad cœlum, nondum a vobis recessi). At nos terræ gigantuli, qui non veste gloria sed ignominia potius et mille misericordiarum obsordescimus, cum vel medico verbo carpimur, illico clamamus: *Noli me tangere.*

III. Ad morbum quemcumque seu gravem, seu levem, seu diuturnum, seu brevem. Cogitare enim debemus, morbum esse flagellum, quo vel punimur ob peccata, vel excutimur et separamur a paleis veluti frumentum. Lopus Trecasinæ urbis episcopus, Attila civitatem obsidente, interrogavit, quis hic esset, qui sic in se arma lacesseret? Ubi accipit Attilam flagellum Dei, ingemiscens ait: *Et ego lupus vastator gregis Dei dignus flagello ejus.* Portas igitur ei reserari jussit, et Attilam per urbem eduxit, nihil prorsus in ea hostiliter molientem. Itaque a flagello liber fuit, qui se dignum flagello confessus est, Sur. tom. IV. Flagellum Dei, morbus est, undecumque proveniat. Ita enim plaga hæmorrhœssæ in Græco textu vocatur flagellum, quasi ob peccata sua plagam a Deo accepiter, Matth. VI. et Genes. XII. cum dicitur Deus flagellasse Pharaonem plagi maximis, Philo et Perierius censem id flagellum fuisse morbos et dolores gravissimos. Quando ergo hujusmodi Attila et flagellum Dei obsidet domum, seu corpus nostrum, cogitemus nos esse Lupos dignos hoc flagello; itaque reseremus ei portas, admittamus hostem a Deo nobis missum; et quamdiu is nobiscum moratur, honorifice comitemur. Ita enim siet, ut nihil nobis mali inferat, sed potius mala nostra auferat. Ita dixit Habacuc, cap. III. *Ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat* (q. d. putrescant ossa mea, et caro mea pus vomat scateatque vermis, ut caro Sanct. Job). Et quæ tam diræ imprecationis causa? *Ut requiescam,* inquit, *in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum,* id est, ad electorum cuneum in die iudicii, quando accincti erunt ad peregrinandum in cœlum, vel accincti gladiis ancipitibus: *Ad faciem dampnum in nationibus,* Ps. CXLIX.

IV. Atque quamcumque mortem ita ut nec optemus vivere, neque cito mori: nec hoc, vel illo mortis genere: sed sicut Deo visum fuerit. Sicut enim: *Statutum omnibus hominibus semel mori,*

ad Hebr. IX. ita etiam tempus et genus mortis. Frustra ergo et damno nostro obnitionis, cum ninc evocamur. Stat voluntas divina, et decretum mortis nostræ velut rupes immobilis. Ut ergo is qui cymbam ad rupem alligavit, si funem identidem trahat et rupem ad se trahere conetur, frustra fatigabitur et ab omnibus ridebitur: ita etiam nos qui rupem divinæ voluntatis nexi sumus, si trahendo et reluctando, eam nobis obsequi velimus. Moriendum nobis scimus et mori aliquando volumus, sed plerique nondum. Unus cupit prius educari et nupti tradere liberos suos: alius prius absolvere opus, quod incepit: alius desiderat prius videre Turcam devictum, vel hæresin extirpatam: alius aliud in desiderio habet, et cum mors pulsat, ante tempus adesse existimat importunum exactorem. Stulti, nunc moriendi tempus est quando Deo visum, mortis et vitæ Domino. Videte senem illum Simeonem, qui cum responsu a Deo accepisset moriendum sibi esse, ubi Christum aspexisset, Christo infante viso statim se ad mortem offert: *Nunc dimittis servum istum Domine, secundum verbum tuum in pace,* Luc. II. Poterat sane optare vitæ prorogationem, vide-re Christum etiam mira patrantem, concionan-tem, patientem resurgentem ad celos ascenden-tem (hoc enim videre cupiebant multi reges et prophetæ) sed quia Deo aliter visum esse sciebat ideo: *Nunc dimittis,* inquit. Utinam hoc canticum omnes addisceremus. Optime sane id norat inter alios Moyses, quia audiens in deserto Dei decre-tum: *Ascende in montem istum Abarim, et vide terram Chanaan, quam ergo tradam filii Israel obtinendam, et morere in montem,* Deut. XXXII. nihil tergiver-satus est, non a Deo, saltem eo usque sibi vitam protrahi, donec etiam ipsa videret, terram promissam lacte et melle manantem sed eodem die ascendit in montem et mortuus est, *sanus et vegetus,* Deut. XXXII. E contra Elias vitæ tædio af-fectus ob gravissimam Jezabelis persecutionem pe-tivit a Deo mortem: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Sed cum audiret angelum sibi ad hæc dicentem: *Surge, comedere, grandis enim tibi restat via,* cessit mox voto suo et perrexit quo vocabatur, III. Reg. XIX. Similiter S. Martinus et vivere et mori paratus: *Domine, inquit, si adhuc populo suo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.*

V. Ad mortem charissimorum æquo animo fe-tendam. Exemplum habemus primo, in Davide, qui dun. filium infantem ægrotare cerneret, de-precatus est pro eo Dominum, jejunavit et ingressus seorsum jacuit super terram. At ubi eum extinctum audiit, surrexit de terra et lavit atque unxit se, induitque vestem genialem, et ingres-

sus est domum Domini agoratus Deum, redi-que domum ad sumendum cibum, II. Reg. XL. Ubi enim intellexit Deo sic placuisse, ut moreretur filius ejus voluntati sese confirmavit, et hilarem se exhibuit, nec amplius cum eo certandum esse jejuniis ac precibus existimavit; sed in eo lætandum quod Deus in suum ac filio caput de-revisset. Secundo, in S. Luca et aliis quibusdam de Cœsarea fidelibus, qui audientes ex propheta Agabo, alligandum Jerosolymis Paulum et tra-dendum gentibus, si eo proficisceretur, rogarabant eum, ne ascenderet Jerosolymam; sed cum ei hoc persuaderet non possent, videntes in Paulo de-siderium ardens patienti et moriendi, quieverunt dicentes: *Domini voluntas fiat,* Act. XXI. Ecce hi tenerime diligebant Paulum, eumque sibi diu superstitem esse summis optabant votis; ubi tamen intellexerunt Paulum a Deo alio vocari, acquievere. runt voluntati divinæ. Hæc enim est vera quies, quæ Dei voluntati acquiescit. Tertio, in S. Elisa-betha quæ audiens Ludovicum maritum, qui sa-cram militiam professus cruceque signatus in orientem moverat, defunctum in itinere, dicebat: *Mihi ergo, inquit simul cum illo omnia mundi gau-dia extincta sunt.* Postea cum defuncti corpus in patriam deferretur, eidem ipsa occurrens hunc in modum precabatur: «*Gratias tibi ago Domine; ancillæ tuæ ingens, quod habui, desiderium in aspectu ossium dilecti mei adimpleri et afflictam et desolatam animam meam dignatus es misericorditer consolari.* Ipsum tibi a semetipso et a me in subsidium terræ tuæ sanctæ oblatum non individuo; licet eum dilexerim ex corde. Tu scis Deus, quod ejus desiderabilem præsentiam, mihi gratissimam, omnibus hujus mundi deliciis et gaudiis anteferrem, si ipsum mihi tua benignitas concessisset. Optaremque omni tempore vitæ meæ in egestate et mendicitate vivere, dummodo ejus frui contubernio de tuo beneplacito licuisset. Nunc vero ipsum et me tuæ voluntatis dispositioni committo: nec enim, etiam si possem, eum ad vitam revocare minime mei capitio capillo, præter tuum beneplacitum vellem, » Rader. vol. I- Bav. s. in Elisabetha.

VI. Ad omnem prorsus calamitatem, qualisunque illa sit. Lampades ex argento alioque metallo jam fiunt tam artificiose pendulæ, ea compage vertebrarum instructæ, ut quocumque et quomodo documque ferantur, nunquam evertantur: servant enim lumen suum semperque cœlum respiciunt. Tali lampadi similis est, qui se in omnem Dei nutum in omnes plagas ab eo sibi vel immis-sas vel immittendas vertere ita potest, ut nunquam evertatur aut cor a Deo avertat: talis erat David, qui dicebat: *Paratum cor meum Deus, paratum cor*